θεαροδοκία apud Dores usitata sunt pro θεωροδ. Hinc et nomen Θεαρίδας Doricum, ut Θέωρος Atticum. Itaque Byzantini decreverant ἀποςεῖλαι θ ε α ρ ί α ς, quod in θεωρίας, δωριας et δωρεάς corruptum est.

C. G. Cobet.

CICERO PRO PLANCIO III. § 8.

Cicero Plancium defendens quum dixisset III. § 8. *nec si a populo praeteritus est quem non oportuit, a iudicibus condemnandus est qui praeteritus non est*, ita pergit: *Nam, si ita esset, quod patres apud maiores nostros tenere non potuerunt, ut reprehensores essent comitiorum, id haberent iudices; vel, quod multo etiam minus est ferendum: tum enim magistratum non gerebat is qui ceperat si patres auctores non erant facti: nunc postulatur a vobis ut eius exilio qui creatus sit iudicium populi Romani reprehendatis.*" Ut sana sit sententia expunge absurdum *vel* et ita verba constitue — *id haberent iudices, quod multo etiam minus esset ferendum.* Deinde exponit cur multo etiam minus esset ferendum iudices id habere quam olim patres. Patres enim honorem tantum alicui eripiebant, iudices *salutem* quoque, namque honos nonnisi *damnato* eripi poterat. Hoc ipsum dixerat Cicero sed proclivis error eius verba obscuravit. Non enim *exilio* sed *exitio* dederat „*ut eius* exitio *qui creatus sit iudicium populi Romani reprehendatis.*" De more in concitata oratione *exitium* pro *damnatione* posuit, ut in fragmento orationis pro Oppio (apud Ammian. Marcell. 30, 8) *Multum posse ad* salutem *alterius honori multis, parum potuisse ad* exitium *probro nemini umquam fuit.* Ne quis autem putet nimium esse *exitium* in illa causa dicere, inspiciat mihi vel § 79. *Agitur Cn. Plancii salus, patria, fortunae.*

Exilium et exitium eodem modo confusa esse suspicor in oratione pro C. Rabirio perduellionis reo IX. § 25: „*numquam profecto istam imaginem, quae domi posita pestem atque* exilium *Sex. Titio attulit, in Rostra atque in concionem attulisses.*" Ubi si *pestem atque exitium* restitueris praesidium habebis in iis quae nuperrime scripsit Bakius in *Scholic. Hypomnem.* V. p. 73.

C. G. Cobet.